Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nectentum. Et sublevabis de corrup-
tione vitam meam domine deus meus.
Cum angustiaretur in me anima mea
domini recordatus sum ut veniat
ad te oratio mea ad templum sanc-
tum tuum. Qui custodiunt vanitates
frustra misericordiam suam derelinquunt. Ego autem
in voce laudis immolabo tibi: quecumque
vovi reddam pro salute domino. Et dixit
dominus pisci et evomuit Ionam
in aridam. Capitulum Tercium.
Et factum est verbum domini
ad Ionam secundo dicens.
Surge et vade ad Nini-
ven civitatem magnam: et predica
in ea predicationem quam ego loquor
ad te. Et surrexit Ionas et abiit in
Niniven iuxta verbum domini. Et Ni-
nive erat civitas magna itinere
trium dierum. Et cepit Ionas introi-
re in civitatem itinere diei unius. Et
clamavit et dixit. Adhuc xl dies et
Ninive subvertetur. Et crediderunt
viri Ninivite in domino: et predicaverunt
ieiunium: et vestiti sunt saccis a ma-
iore usque ad minorem. Et pervenit
verbum ad regem Ninive: et surrexit
de solio suo: et abiecit vestimentum
suum a se: et indutus est sacco et se-
dit in cinere: et clamavit et dixit. In
eius Ninive ex ore regis et principum dicens.
Homines et iumenta et boves et
pecora non gustent quicquam nec pas-
cantur et aquam non bibant: et o-
periantur saccis homines et iumen-
ta: et clament ad dominum in fortitudine.
Et convertatur vir a via sua mala.
et ab iniquitate que est in manibus eorum.
Quis scit si convertatur et ignoscat deus.
et revertatur a furore ire sue et non
peribimus? Et vidit deus opera eorum
quia conversi sunt de via sua mala:
et misertus est deus super malitiam quam
locutus fuerat ut faceret eis et non fecit.
Et afflictus Capitulum iiii.
est Ionas afflictione mag-
na: et iratus est. et oravit
ad dominum et dixit. Obsecro domine num-
quid non hoc est verbum meum cum ad-
huc essem in terra mea? Propter hoc preoccu-
pavi ut fugerem in Tharsis. Scio enim
quia tu deus clemens et misericors es.
et patiens et multe miserationis et
ignoscens super malitia. Et nunc domine
domine tolle animam meam a me:
quia melior est michi mors quam
vita. Et dixit dominus. Putasne
bene irasceris tu? Et egressus est Ionas de
civitate: et sedit contra orientem civi-
tatis. Et fecit sibimet ibi umbracu-
lum: et sedebat subter illud in umbra
ut videret quid accideret civitati. Et
preparavit dominus deus hederam: et ascen-
dit super caput Ione. ut esset umbra
super caput eius. et protegeret eum. labora-
verat enim. Et letatus est Ionas
super hedera leticia magna. Et pa-
ravit deus vermem. et percussit hederam. et exa-
ruit. Et cum ortus fuisset sol. precepit
dominus vento calido et urenti. et
percussit sol super caput Ione. et estu-
abat. et petivit anime sue ut more-
retur. et dixit. Melius est michi mo-
ri quam vivere. Et dixit dominus ad Ionam.
Putasne bene irasceris tu super hedera?
Et dixit Ionas. Bene irascor ego usque
ad mortem. Et dixit dominus. Tu
doles super hedera in qua non laborasti.
neque fecisti ut cresceret. que sub una nocte nata est. et sub una
nocte periit. et ego non parcam Nini-
ve civitati magne. in qua sunt plus
quam c. xx. milia hominum. qui nesci-
unt quid sit inter dexteram suam et et sinistram
iumenta multa?